

141.9.14

*Idem AA. Philippo pp.*

Nullus tamquam Iudaeus, cum sit innocens, obteratur nec expositum eum ad contumeliam religio qualiscumque perficiat: non passim eorum synagogae vel habitacula concrementur vel perperam sine ulla ratione laedantur, cum alioquin, etiam si sit aliquis sceleribus implicitus, idcirco tamen iudiciorum vigor iurisque publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi ipse permittere valeat ultionem.

1 ¶ Sed ut hoc Iudaeorum personis volumus esse provisum, ita illud quoque monendum esse censemus, ne Iudaei forsitan insolescant elatique sui securitate quicquam praeceps in Christianae reverentiam cultionis admittant.

*D. VIII id. Aug. Constantinopoli Honorio VIII et Theodosio V AA. cons. [a. 412]*

1.9.15

*Idem AA. Aureliano pp.*

Si qua inter Christianos et Iudaeos sit contentio, non a senioribus Iudaeorum, sed ab ordinariis iudicibus dirimatur.

*D. XIII k. Nov. Constantinopoli Honorio X et Theodosio VI AA. cons. [a. 415]*

1.9.16

*Idem AA. Asclepiodoto pp.*

Iudaei et bonorum proscriptione et perpetuo exilio damnabuntur, si nostrae fidei hominem circumcidisse eos vel circumcidendum mandasse constiterit.

*D. V id. April. Constantinopoli Asclepiodoto et Mariniano cons. [a. 423]*

1.9.17

*Imp. Theodosius et Valentinianus AA. Iohanni comiti sacrarum largitionum.*

Iudaeorum primates, qui in utriusque Palaestinae synedriis nominantur vel in aliis provinciis degunt, periculo suo anniversarium canonem de synagogis omnibus palatinis compellentibus exigant ad eam formam, quam patriarchae quondam coronarii auri nomine postulabant: et hoc, quod de occidentalibus partibus patriarchis conferri consueverat, nostris largitionibus inferatur.

*D. III k. Iun. Constantinopoli Florentio et Dionysio cons. [a. 429]*